

Nr. 24.

93

AENIGMA PROPHETICVM

Ierem. XXXI, 22.

FEMINA CIRCVMDA-  
BIT VIRVM,

IN NATIVITATE CHRISTI SOLVTVM,  
CIVIBVS ACADEMIAE FRIDERICIANAE

IN NATALITIIS CHRISTI FERIIS

MEDITANDVM PROPONIT

P.R O E C T O R

IOAN.HENR.MICHAELIS,

S. THEOL. PROF. ORD.

VNA CVM

CANCELLARIO, DIRECTORE,

CETERISQUE

PROFESSORIBVS

EIVSDEM ACADEMIAE,

AO. CIO IOCC XXXIII.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,

LITTERIS KITTLERIANIS.





Uod in natalitia Christi nocte Angelus pastori-  
bus in Bethlehemito agro sublimi voce pre-  
dicauit Luc. II, 11. *Natus est vobis hodie Sernator,*  
*qui est Christus Dominus, in urbe Danidis,* id  
ut omnibus in vniuersum statibus iucun-  
dum & salutare, sic diu & ab omnibus re-  
tro lœculis promissum exspectatumque fuit nuncium.  
Prima eius promissionis stamina in Proteuangelio, de Se-  
mine mulieris caput serpentis contrituro, quærenda sunt  
Gen. III, 15. eadem vero pertexta magis, & clarius euo-  
luta sunt subsequitis lœculis, tum per Patriarchas, tum per  
Prophetas veteris œconomia: ut cœcutire eum oporteat,  
qui nihil huius mysterii siue in Pentateucho Mosis, si-  
ue in Prophetarum scriptis ac Psalmis peruidere se pu-  
tat.

Vt autem generatim Deus multifariam multisque mo-  
dis olim locutus est Patribus in Prophetis Hebr. I, 1. ita  
quoque vaticinia de futura Christi nativitate, & aliis cum  
ea cognatis, & ad illam pertinentibus argumentis, di-  
uersi generis sunt, alia quidem clara, manifesta, & eum  
in modum comparata, vt, nisi data opera oculos occlu-  
das,

das, planissime se mentibus ingerant; alia vero inuoluta & ænigmatica, ita ut ad soluendum illa opus esse videatur, non Oedipo coniectore, qui Sphingis ænigma endauit, sed Simpone quodam, aut Salomone, quos propter problematum ænigmatumque solutionem sacræ litteræ concelebrant. Vixum est nempe sapientia diuinæ, claris de hoc mysterio oraculis obscuriora & magis inuoluta interponere: illis quidem fami legentium occurrere, ansamque conquerendi de obscuritate præcidere; his vero studium nostrum ciere, fastidiumque detergere voluit.

Erunt heic forte qui dicent: Si ænigmata ex parte sunt, quæ sacri vates de conceptione ac nativitate Filii Dei cecinerunt, erunt igitur velut insolubiles nodi, & frustra in illis intelligendis ac interpretandis nos exercebimus! Verum vtut concedamus, ænigmata hæc prophætica ante nativitatem Christi comparate difficiliora fuisse, quam post eam, vbi euentus ipse ænigmata illa resoluit, atque in luce posuit; tamen si a posteriori, & post complementum suum spectentur, passim deprehenduntur adeo perspicua & clara, vt celebris theologus MOSES AMYRALDVS in illis admiratus alicubi fuerit evidentiam obscuram, seu, vt nos quidem dicere mallemus, obscuritatem evidentem. Quæ est quidem παράδοξος sententia, & veluti σιδηρόξυλον, contradictionem in adiecto (vt videri possit) inuoluens; & tamen verissima.

Hoc vt ne temere dixisse culpemur, illustrabimus rem triade exemplorum, ex aliis argumentis propheticis de promtorum: ac tum ad princeps aliquod ænigma, de conceptione & nativitate Christi ex virgine, quod partem facere posit meditationis vestræ natalitiae, o florentissimi Ciues, progrediemur. Quarimus enim: Annon prius, quam evenisset, ænigmatis instar fuerit, quod Elisæus tribuno Israelitici regis, querenti, num, si vel foramina Deus in cælo faceret, futurum esset, vt postero die Satum unum similaginis, itemque duo Sata hordei uno venirent

fiolo in porta Samariae? dictavit 2 Reg. VII. 2. *Ecce, tu visurus es oculis tuis,  
et inde samen non comedes.* Et tamen eventus id fecit planissimum, quam  
idem tribunus postero die porta Samaria praefectus, a populo ultra citroque  
cursante ad mortem usque conculeatus est, ibidem v. 16. sqq. Sic porro ænigmatis  
formam habuit, quod idem Elisaus Hazaeli, ad se ablegato, vt quereret,  
num Benhadadus Syriæ rex a morbo suo consulitus esset? responsum dedit  
2 Reg. VIII. 10. *Dic si: Viuendo viues; sed ostendis mihi Dominas, eum  
omnino moriturum esse.* Sed eventus mox subsequutus interpretem ænigmatis  
egit. Nam viaturus, & a morbo suo consulitus fuisse Benhadadus,  
nisi violenta accessisset manus: moriturus vero erat, quia (quod Propheta  
mente simul præuidera) ipse nuncius Hazaël, parricida Benhadadi futurus  
erat v. 15. Denique huius generis fuit illud Ezechielis de Sedekia Iudeorum  
rege vaticinum, Ezech. XII. 13. *Curabo eum abduci (captiuum & exulum)  
Babylonem, in regionem Chaldaeorum; & vero eam non videbit. Venire Babylonem,  
& Babylonem tamen non videre, videbantur consiliari inuicem vix posse: & con-  
ciliavit ea tamen eventus, quam Sedekias ante, quam Babylonem abducere  
tur, apud Riblam in Syria luminibus priuatus esset, 2 Reg. XXV, 7. Quam  
huiusmodi auctor est IOSEPHVS Antig. lib. X. c. VII. & VIII. in causa  
fuisse, vt Sedekias Ezechielis vaticinio fidem derogaret, quod id videbatur  
ipsum pugnare secum. Nempe eventus ipse ostendit, prædictiones illas, re-  
tutæ ænigmaticas, tamen fuisse quam exactissimas, summaque factas exacti-  
tudine.*

Hæc ubi generatim de ænigmatibus propheticis praefati sumus, trans-  
eamus iam speciatim ad vaticinia ænigmatica de conceptione & nativitate  
Christi. Possemus plura eius generis & argumenti adferre oracula: sufficit  
vero nobis ex pluribus unum illud Ier. XXXI, 22. *Vsque quo subduces te,  
o filia auersa! Quoniam creauit Dominus nouum super terram: FEMINA  
CIRCUMDABIT VIRVM.* Aenigmatis id formam habere, modus ipse enun-  
ciationis ostendit; vt potest in originali lingua non definite conceptus, sed in-  
definitus: non vt B. LVTHERVIS redditus, *Das Weib wird den Mann umge-  
ben*; sed indefinite, *Ein Weib wird einen Mann umgeben*, velut sermo esset  
de vago nec satis cognito Obiecto. Veluti diceret Propheta: *Hic est sapien-  
tia; qui pollet mente, computet & coniecat, quæ sit illa Femia;* quis ille  
*Vir, quid denique Circum dare.*

Et fuisse id omnino ænigma his, qui vel ante nativitatem Christi vi-  
xerunt, vel post nativitatem Christi in Iudaica perstiterint æviis, hoc (vt  
de recentioribus Iudeis iam prætermittamus) vel vetustissimi faci Codicis  
metaphrasia suo nos docerunt exemplo. Etenim LXX Graeci (in quorum  
versione vaticinium hoc ad c. XXXVIII, 22. inuerso Capitum ordine transla-  
tum est) posterius eius comma sic reddiderunt: *Εντος Κύριος ευηγέλιος νε-  
ρων τετρακοντά, τοι κυριος προελθοντας λέγεται, id est, Creauit Dominus  
salutem ad plantationem nouam. In salute circumabant bonites. Chaldeus  
vero interpres IONATHAN ita: Lece creauit Dominus nouum in terra  
Populi.*

*tuis,  
um  
oque  
natis  
eret,  
eum  
ma-  
dis,  
heta  
urus  
rum )  
hem,  
con-  
serere  
iam  
ulla  
etur  
re-  
cti-  
ans-  
tate  
cicis  
te,  
NA  
un-  
in-  
ge-  
slet  
en-  
ille*

*Populus domus Israëlis congregabuntur ad Legem. Ac LXX quidem Graci, si anigma hoc propheticum ignorabant, verba eius debuerant retinere, vt letoribus suis, si non facilem & obviū sensum proponerent, tamen eius inquirendi ansam relinquenter: iam vero, dum sensum plane alienum, & neque cum vocibus ipsis neque cum Grammatica conciliabilem, supposuerunt, merito censentur leges bonorum interpretum migrasse, quod sensum, quem referre ex textu debuerant, inferre ei præsumserint. Quod vero ad Chaldaeum paraphrasten IONATHANEM attinet, is pariter a textu orationis prophetice, & ab eius littera, iusto liberius diuagatur, tropice sumens verba, quæ tamen proprio capi poterant debebantque sensu. Videtur is in mente habuisse illam interpretandi rationem, quam & celebris Iudeus DAV, KIMCHI in Comm. suo ad h.l. sequitur: vt *feminam populum Israëliticum, virum Dominum Deum Israëlis, circumdare* vero *virum conuersioneum Israëlis ad Deum suum nōter.* Atqui sententia ista vel hoc premittit incommodo, quod *feminam, de qua* textus loquitur in tertia persona, confundit cum altera illa *filia auersa, ad quam* oratio in hoc vaticinio directa est. Peccat item, quod rationem & medium terminum eum ipsa confundit consolacione. Etenim conclusio hæc est, *Quorsque subducete, o filia auersa!* quod perinde valet, acsi negatiue dicetur? O popule Israëlitice, qui sub veteri economia auersus a Deo & vis eius fuisti, abhinc non debes te ultra subducere, & auersus manere. Ratio vero, & causa mouens est: *Quoniam creauit, creare decreuit, & suo tempore creabit tam certe, acsi iam creauisset, nouum quid super terram: Femina circumdabit virum.* Quodsi ergo huius propositionis sensus is esset, quem ei subiecit IONATHAN, conclusio probaretur per se ipsam hoc modo: Non debes te amplius subducere & auersus manere, seu, quod perinde est, debes te conuertere, quare? quoniam creabit Dominus nouum quid super terram: populus Israëliticus conuertetur ad Deum. Praeterea non est id, ad quod IONATHAN animatum intendit, nouum quid, & præcis temporibus inauditum, vt tamen, in textu nostro vocatur. Ut enim, intermedii scilicet prætermis, ad initium constitutæ ecclæsiae & reip. Israëlitica regrediantur, nonne eidem populo, cum respectu ad primam eius atatem, simili modo dixit Deus apud eundem prophetam, III, 2. *Recordatus sum tibi pietatis iuuentutis tue, & amoris sponsaliorum tuorum, cum me sequereris in deserto, in terra non conterminata.**

Ostenderunt igitur illi metaphrasæ, anigma hoc fuisse sibi inexplicabile, quid vero? nam ipsis anigmatis vitio? non, sed culpa interpretum, qui, cum vaticinium, ex confessione ipsorum Iudeorum, ad tempora Messiae pertinens, præ manus habent, non recognoscant (vti quidem debuerant) oracula huic prorsus gemina & parallela, v.g. de *femine mulieris contritus caput serpens* Gen. III, 15. de *virginea granida futura, filiumque parvum, cuius nomen esse vocatura Immanuel* Esa. VII, 14, de *pueru item nascituru nobis, filioque nobis dando, super cuius humero principatus ipsis effet futuras, & cuius uenit vocandum effet Mirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater aeternitatis, princeps pacis* c. IX, 5. & denique de *Israëlitis a Deo*

Deo tradendis usque ad tempus Parturæ, quo hoc pèperisset Mich. V., 2.  
Vtpote quibus veluti clauibus instructi usque veteres interpretes potuissent,  
duammodo voluissent, nec stupori suo succubuissent, ænigma hoc res-  
rare.

Nobis utique, qui christiani sumus, multo est solutio huius ænigmatis, quam illis, facilior: vtpote qui præludentem nobis habemus nouissimam illam angeli Gabrielis prædictionem, ipsi huic Femina Oberonq; de qua le- remias cecinit, saec. I. Ecce concipes in utero, & paries Filium cuius nomen vocabis Iesum: neque minus nouimus prædictionis illius implementum, a Matthæo indicatum c. I., 22. 23. Hoc rotum factum est, ut im- pleretur dictum a Domino per Prophetam, dicentem: Ecce virgo grauida erit, & pariet Filium, etc.

Ita igitur si explicamus oraculum Ieremianum, omnibus atque singulis verbis sua constabit emphasis. Id quod ratione Subiecti non minus, quam Prædicati, nobis edifferendum est. SUBJECTUM ænigmatice propositionis non est *Vxor* aliqua, seu *Coniux*, sed נָקָה *Femina*: quod nomen meri est sexus, vti ex Gen. I., 27 intelligi potest, personam notans, quæ non nisi *Fe- mina* est, consideratam non in matrimoniali, sed veluti in naturali statu: talem scilicet, qualem Eſaias apertio & specifico nomine *Virgi- nem* adpellavit c. VII., 17. In Prædicato attendenda sunt nobis tum Obie- ctum tum Actus.

OBJECTUM est נָבָר *Vir*: quod Nomen vtut marem, seu virilis se- xus hominem quemlibet notare possit, vt Iob. III., 3. Pereat dies, quo na- tus sum, & nox qua dictum, conceperus est (נָבָר) *vir*; hoc loco tamen illum generaliorem significatum exceedat oportet. Nam si generaliore isto signifi- catus veniret heic, propositio nihil habere nouæ atque insolita veritatis quam notam tamen Deus ipse ei præfixit: quia hoc est quotidianum & ob- nium quid, vt feminæ concipient pariantque, vti semellas, ita masculi so- boles. Sumitur ergo Nomen strictiore significatu, non solum quo *adjectum* marem denotat, opposite ad minores atque impuberes Ier. XLII., 16. c. XLIII., 6. sed etiam multo magis, quo *validum*, *robore pollentem*, & *victoriosum* *virum*, seu *heroem* dicit, vt Iob. XXXVIII., 3. Accinge (נָבָר) *veluti heros lumbos tuos*; & quatenus id synonymum est τῷ ἀρσὶ *forti*, vt Ps. XVIII., 26. si conserfas parallelum 2 Sam. XXII., 26. vbi qui illic נָבָר *Vir*, heic אֲבָר *fortis* adpellatur. Hac igitur significatu si capiatur vox, propositio hac ænigmatice a quo saltem erit *nayadoz*, hoc est, noua quidem & admirabilis & tamen verissima, ac illa Christi Ioh. III., 3. *Nisi quis renatus fuerit de- nro, non potest videre regnum Dei*, ad quam reponebat Nicodemus v. 4. Quoniando potest homo nasci, cum sit fœnix? numquid potest in ventrum ma- tris sua iterato venire, & nasci? itemque hæc eiusdem vatis Ier. XXX., 6. Interrogate & videate, num pariat VIR: quare ergo vidi omnis VIRI manum super lumbos suos, ad instar parturientis? Respicitur quam maxime ad di- vinam Chirilli naturam, quæ in virginali utero Maria se humanitatem eius per- ventionem personalem coniunctura, & cuius respectu Filius ille ex Virgine na- scitur.


citurus, præter alia nomina, etiam illud אל נבוֹר seu *Dñi fortis*, ex Esa.  
IX, 5. habitum est.

Denique ACTUS ipse, quo Subiectum, *Femina*, in hocce Obiectum suum, *Virum*, effet acturum, exprimitur Verbo תסובב circumdabit. Quid hoc vero sibi vult? num quod femina ambitura effet sponsum, seu virum? contra quam fieri afflet in vita communii, ubi non sponsa sponsum, sed sponsus sponsam querit & ambit. Atqui hoc nihil effet noni in terra: quia, ut ordinari sponsus sponsam querat, tamen non raro contingit, ut, in usu velut ordine, non viri sponsas, sed feminæ sponsos ambiant. Nonne enim Esaïas, quum de maribus Iraelitis magna copia gladio interitus prædictisset, c. IV, 1. *Adprehendent*, inquit, *septem mulieres virum unum die isto, dicentes: Panem nostrum comedemus, Et vestem nostram induemus, tandemmodo vocetur nomen tuum super nos, Et aufer prebrum nostrum.* An forte, quod femina marito suo adiudicata & valut individualis nexus a latere futura effet? Atqui nec hoc effet nouum quid, sed regular & ordinarium, secundum illud Gen. II, 17. *Non est bonus, hominem esse solum: faciam ei adiutorium;* כננוּר coram ipso. Nihil igitur restat, quam ut circumdare idem sit ac vtero cingere, concipere, & conceptum in vtero souere vsque ad tempus nativitatis. Proinde, si quidem ad Filium Dei, & ad substantiale illud Verbum Dei, eundemque Deum formem, in vtero virginis Mariae conceptum, & ex illa natum, hoc (vt debet) referatur; erit vtique, & est pars illius my<sup>er</sup>orii pietatis (δυσογνωμός) ex confessione omnium magni: **DEVS MANIFESTATVS EST IN CARNE, 1 Tim. III, 16.**

Intellexisti ergo, o Fridericiiana Academia, tuque inprimis, o florentissima luuenrus academicia, quid hoc noui sit, quod Deus se in plenitudine temporis facturum esse, diuidum ante quam faceret, per Ieremiam prædictum. Er vero, o Gies, dubium non est, quin, si digne mysterium hoc reputanteritis, & illuminatis a Spiritu sancto oculis mentis intuiti fueritis, sancta admiratio, & sancta veneratio erga Deum, qui propheticum hoc anigma plus quam XVII secula opere & euentu ipso resolutum, animos vestros occupatatura sit, ita vt & de vobis valeat, quod de Iudeis, admiranda opera Christi spectantibus olim dicebatur Luc. V, 26. *Stupor adprehendit omnes, & magnificans Deum; & repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia (παράδοξα) bodie.* Certe hoc ingens illud mysterium est, cuius admirationis animos vestros, vt omni tempore, ita in natalitis hisce seris in primis, tenere & occupare debet, & quod hunc in finem ex sacris cunctis christiani pulpitis publice his diebus personabit. Recogitate autem, idem hocce mysterium, quia est nouum quid in terra, novos quoque a vobis requiri animos, nouas mentes, nouam indolem, novos mores: vt si vestram, certe heic & de tempore noui secederis valeat illud: *Hic dies aliam vitam, alias mores postulat.* Atque utinam nuno tandem exulare a vobis incipiatur, & in alteram relegetur omnis vitiosa & sordida mali moris vetustas; vt & vos noui fatis homines, & creatura noua, secundum illud Apolloli 2 Cor. V, 17. *Siquis in Christo est, noua est creature: vetusta præterierunt.*

terunt, ecce facta usua sunt omnia. In primis vero ad animum revocare,  
& vobis quoque dictum putate illud, quod in oraculo illo Ieremiano vobis  
proposito primum locum occupat: *Vique quo! ergo quo subducere se, o si-  
lis ouera!* Subducere te Deo, subducere te disciplinae, subducere te verbo  
Dei! Agite ergo, ut quisque vestrum iam non desideriis bonorum, sed vo-  
luntati Dei, quod reliquum est in carne vias temporis. Sufficie enim pre-  
teritus tempus ad voluntatem genitum consummandum, his qui ambulan-  
tibus in luxurias, desideriis, violentiis, confessionibus, potionibus.

P.P. in feria natalitiis. A. CIO 1000XXXIII.



Ja 1586


ULB Halle  
001 508 687


3



St

VDA7





93

AENIGMA PROPHETICVM  
Ierem. XXXI, 22.

# FEMINA CIRCVMDA- BIT VIRVM,

IN NATIVITATE CHRISTI SOLVTVM,  
CIVIBVS ACADEMIAE FRIDERICIANAE

IN NATALITIIS CHRISTI FERIIS  
MEDITANDVM PROPONIT

P.R.O.R.E.C.T.O.R

## IOAN.HENR.MICHAELIS,

S. THEOL. PROF. ORD.

VNA CVM  
CANCELLARIO, DIRECTORE,  
CETERISQUE  
PROFESSORIBVS

EIVSDEM ACADEMIAE,  
AO. CICIOCC XXXIII.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS KITTLERIANIS.